

negatur in Concilio Lateranensi, c. Damnamus, de summæ Trinitate. Cæterum negativa in sensu identico est falsa, ut si dicatur: Nulla res quæ est essentia generat, et in concreto: Deus non generat, falsæ sunt, quia essentia divina est res illa quæ generat. Quare ad hoc non requiritur distinctio realis in actu inter illa extrema, sed sufficit eminentialis, quod scilicet eadem res sit simul essentia, et relationes, ex utriusque generis absoluti, et relativi munus gerat. Et quia essentia non solum est paternitas quæ generat, sed etiam filiatio, quæ generatur, ideo dicitur quod non est adæquate paternitas, id est, non est solum paternitas, nec est adæquate filiatio, sed utrumque simul. Et cum infert Durandus quod est in plus essentia, quam paternitas, distinguo; in plus identice, et realiter, nego (est enim eadem simplicissima realitas) formaliter ex modo significandi, transeat. Et non dico formaliter, formalitate reali distincta, quæ est modus, sed formaliter ex modo significandi, quod in eadem realitate locum habet propter suam summam eminentiam. Et ad consequentiam, quod sunt eadem uni tertio, etc. dico quod defectus illius syllogismi non est in minori, sed in majori male intellecta; et sic infert consequentiam defectuosam. Nam major intelligenda est de his quæ sunt eadem uni tertio sub eadem appellatione, et formalitate, non sub diversa, et quod eo modo erunt eadem inter se quo fuerint in illo tertio, et non aliter; et sic Personæ erunt idem inter se essentialiter, non relative, quia solum sunt eadem uni tertio essentialiter, non relative, ut pluribus tractavimus disputatione præcedenti, articulo tertio.

XIII. Ad loca S. Damasceni, et Augustini respondetur nullatenus hos patres asserere Personas esse

modos, et non substantiam ipsam divinam: expresse enim S. Augustinus lib. vii de Trinitate, c. vi dicit: « Cum dicimus Personam Patris, non aliud dicimus quam substantiam Patris. » Cum ergo Damascenus generationem dicit esse modum, non substantiæ differentiam, ex quod ingentum, et genitum non substantiæ sunt significativa, sed modi, loquitur de his notionalibus ex parte modi significandi, non ex parte rei significatæ, prout in re est, et secundum id quod identice et entitative est. Et licet ex modo significationis significant modum substantiæ, non significant modum superadditum, et distinctum, sed identificatum, et divinum, qui ipsa substantia est, sicut cum significamus aliquam virtutem in Deo, ut justitiam, misericordiam, etc. non substantiam significamus, sed proprietatem, et virtutem, quæ tamen in re, et identice substantia, et essentia ipsa est, sed ex modo significandi significatur ut aliquid consecutum ad essentiam, et supponens illam: sic relatio, et persona significatur in Deo, non ut proprietates seu virtutes, sed ut terminus existentia: id enim est subsistentia. Et quia terminus apud nos habet rationem modi respectu substantiæ, ideo translata in Deum, sicut habet rationem termini, ita intelligitur, et significatur a nobis secundum rationem modi, licet modaliter non differat.

XIV. Ad locum primum Augustini ex vii de Trinitate, c. i, respondet D. Thomas in hac quæstione, art. ii ad ii, ubi pro argumento affert illum locum, et explicat illum, quod quando Augustinus dicit, quod omnis res quæ relative dicitur, est etiam aliquid excepto relativo, intelligitur juxta distributionem accommodam, id est, non eodem modo in rebus creatis, et in Deo: nam in rebus creatis invenitur præter relationem

aliquid absolutum tamquam relationis subjectum, quod est alia res a relatione. In Deo autem invenitur etiam aliquid absolutum, sed non tamquam alia res a relatione, quia res illa, quæ est Deus, æquivaleret absoluto, et relativo simul. Est autem aliquid excepto relativo secundum virtuales distinctionem, et secundum considerationem nostram, non secundum actualem distinctionem in re. Ad secundum locum Augustini respondet S. Thomas qu. viii de potentia, art. ii ad xiv, ubi locum illum Augustini explicat, quod quando Augustinus dicit non eo esse Patrem quo Deum, intelligit non eo, non quoad realitatem, et entitatem, sed quoad modum significandi, quia relatio non significatur ut id quod aliquid est in se, sed ut id quod aliquid est, deitas autem significatur ut id quod in se est, et quo constituitur in se, quia significatur ut substantia ipsa qua Deus est. Itaque ex parte rei significatæ, eo quo est Pater, est Deus, sed ex modo significandi non, quia paternitas significatur ut ad alterum se habens, deitate ut ad se, et iste modus significandi est proprius substantiæ.

XV. Circa distinctionem Scoti, quam ipse vocat formalem, seu ex natura rei ante negotiationem intellectus, Durandus citato loco, distinct. xxxiii, qu. i, num. xxviii, referens hanc Scoti sententiam, dixit se istam formalitatem differentia ex natura rei non intelligere, nisi in eo quod dicunt non esse idem formaliter, sed differre formaliter ex natura rei, includant illud quod quidam dicunt quod non sunt idem adæquate, et id quod alii dicunt, scilicet quod differunt, sicut res, et modus. Quare aliqui sic intellexerunt Scotum in hac distinctione formali, quasi ipse ponat aliquam distinctionem extremorum a parte rei, et ante operationem rationis.

Quam si ponit, omnino videtur stare non posse, nisi illa distinctio sit realis, id est, a parte rei, vel sicut duæ res, vel sicut res et modus: et tunc eodem modo impugnatur sicut sententia Gilberti, et Durandi, utpote omnino repugnans simplicitati divinæ, et actui puro, quæ sunt fundamenta ex quibus omne genus distinctionis antecedentis operationem intellectus rejicimus, præcedenti tomo disp. iv, art. vi. Si autem Scotus distinctionem omnem a parte rei, seu realem denegat Deo, ut denegare videtur, ut ibi diximus, et statim asseremus, et ulterius non sola distinctione rationis contentus fuit, sed introducere voluit distinctionem quamdam mediam inter distinctionem realem, et rationis, ut aliqui ei accumulanti convicti ex ejus dictis, quia nec realem, nec modalem voluit esse istam distinctionem, nec etiam solius rationis, sed ante operationem intellectus, plane monstrum in metaphysica, et theologia introduceret. Nam omnis distinctio, sicut et unitas sequitur entitatem, sed nulla entitas fingi potest media inter ens reale, et rationis: ergo nec distinctio.

XVI. Quare ego semper existimavi sententiam Scoti non tam explicari debere per distinctionem, seu separationem extremorum sive realem sive modalem, quam per non inclusionem, seu non identificationem formalis rationis unius in formali ratione alterius, hoc est quod unum non sit de conceptu alterius, ita quod licet dici possit quod hoc est hoc, v. g. sapientia est justitia, vel est ipsa deitas aut e contra, tamen non potest dici quod includitur a parte rei ratio formalis unius in ratione formali alterius, ita quod ex eadem ratione formali includatur ex natura sua in conceptu formali, seu ratione formali alterius. Et sic realiter identificantur ista extrema, sci-

licet relatio, et essentia, sed non sub omni formalitate identificantur, neque unum includit aliud, et sub illa formalitate, qua non includuntur, distinguuntur, et cum ex natura rei, et ratione sui non includantur, distinguuntur etiam a parte rei, seu ex natura rei. Quod est ponere distinctionem a parte rei, seu ex natura rei, non fundatam in oppositione aliqua, ut nos ponimus, sed in non inclusione hujus in alio ex parte alicujus rationis formalis, sub qua illa inclusio non fit, licet fiat, identitas sub alia. Ita ostendi ex ipso Scoto, et ex Arretino præcedenti tomo, disp. iv, art. vi. Et sic Scoti sententia, ut distinguitur a sententia Durandi, et Gilberti, magis pertinet ad subtilitatem quamdam, quam ad veram distinctionem stabilendam. Nam Scotus in illa distinctione ii, qu. vii, §. Sed hic restat, in primo sententiarum distinctionem realem, et modalem in divinis rejecit, idque etiam sic intellexit Durandus referens ejus sententiam ubi supra, et solum posuit distinctionem illam formalem ex natura rei, quam tandem docet esse virtuale, et posse vocari rationis. Et sic Scotus, presse sumptus, non videtur differre a communi sententia D. Thomæ, licet in modo loquendi valde differat, et per distinctionem ex natura rei, seu ante operationem intellectus intellexit solum duo. Primum, quod aliqua, non omni formalitate identificentur, licet in se unum, sint in entitate, et realitate. Secundum, quod duo contradictoria in re illa verificentur ante operationem intellectus, ut quod essentia sit communicabilis, relatio non. Hæc enim duo videntur aliquam distinctionem, seu aliquam non unitatem aliquo modo ponere, si quidem si aliqua extrema sub aliqua formalitate non sunt unum, et idem, sub illa formalitate restant diversa,

seu non unum, licet in re unum sint : hoc est ergo formaliter diversificari. Et si de aliquo dicitur quod non communicatur in re, et sub alia formalitate communicatur in re, illa oppositio, seu affirmatio, et negatio aliquam videtur diversitatem inducere.

XVII. Cæterum de tota hac Scoti distinctione, seu non identificatione formali diximus satis superque tomo præcedenti, disp. iv, art. vi, concl. iii, et plura etiam contra distinctionem modalem Durandi, et realem Gilberti ibidem videri possunt; nec enim aliud in præsentia addendum occurrit pro impugnandis istis distinctionibus. Solum adverto, omnia quæ ibi dicta sunt de attributis inter se, et cum essentia, hic esse dicendum de relationibus, seu Personis, quia licet Personæ inter se distinguantur, quia opponuntur, tamen inter Personas, et essentiam nulla datur oppositio, quia non se habent correlative, sed sicut relatio creata taliter est respectus ad alterum, quod etiam est accidens alicujus, et hoc quod est esse accidens, seu ipsa ratio in, non opponitur rationi ad, sed intrinsece imbibitur in illa: ita in divinis relatio quæ respicit alterum ut terminum, non opponitur ipsi rationi in, quæ est substantia divina, atque ipsamet realitas relationis. Si ergo inter essentiam, et relationem nulla est oppositio, sed summa identificatio actualis, et in re, idem censendum est de distinctione inter attributa, et essentiam, atque inter relationes et essentiam. Quia ergo eadem divina substantia absolutum genus continet, et relativum, atque utriusque gerit munus et officium, illa contradictio quæ forma turdicendo quod essentia est communicabilis, non persona, solum requirit, et sufficit ad illam diversitatem muneris, et officii, non entitatum, sed eadem simplicissima

entitas ob sui eminentiam habet vicem plurium rerum; et sic habet capacitatem verificandi illam contradictionem, dummodo in sensu formali, et sub appellatione formali ponantur, non vero si terminis identicis significetur, ut late ostendimus citato loco, et de se manifeste patet, quia si formo contradictoria in his terminis: Res quæ est divina essentia, res quæ est paternitas, verificatur quod res quæ est paternitas communicatur, licet paternitas non communicetur, et verificatur quod res quæ est essentia non communicatur, licet paternitas communicetur. Et sic signum est, quod illa contradictio, seu affirmatio, et negatio, scilicet paternitas non communicatur, non petit diversitatem seu distinctionem ex natura rei in ipsis extremis de quibus dicitur, scilicet in paternitate, et essentia, sed in officio, et munere seu formalitatibus, quæ in eadem eminentissima entitate distinctionem non habent, sed plurium æquivalentiam, quia solum in formali sensu horum terminorum fit illa affirmatio, et negatio, non in sensu identico, seu in terminis facientibus sensum identicum. Nec obstat quod communicari, et non communicari dicunt inter se distinctionem, saltem negativam in re, quia opponuntur contradictorie: ergo ista duo contradictoria communicata illi rei quæ est Deus, faciet aliquam distinctionem saltem negativam in re in ipso Deo quatenus essentia, et quatenus Persona. Negamus consequentiam, ut negavimus in logica q. iii, art. vi ad i, in fine, sed oppositio ista fundat distinctionem negativam inter ipsa extrema oppositionis, scilicet communicari et non communicari, hæc enim in re non sunt idem, non tamen in ipso subjecto cui conveniunt, quia non est effectus formalis istius contradictionis reddere subjectum

divisum in entitate sua (licet inter se illa contradictio divisa extrema dicat) si infinitum sit, et eminens ad utrumque munus communicandi et non communicandi, sed solum si limitatum sit, ut diximus præcedenti tomo, disp. iv, artic. vi. Ad introducendum autem distinctionem actu in ipsa re ante operationem intellectus, non sufficit affirmatio, et negatio in aliquo sensu, et formalitate, vel appellatione, sed affirmatio, et negatio in ipsa re, etiam identice, et absolute significata, quia affirmatio, et negatio sub aliqua formalitate, seu in aliquo sensu tantum, et non in ipsa re etiam in sensu identico significata, potest verificari manente eadem unitate rei, et nullo modo divisa, quin potius omnino una propter suam summam eminentiam, quæ indistincta, et indivisa æquivalet pluribus.

XVIII. Et addo, quod si hoc fundamentum quo Scotus movetur, et in quo aliqui vim faciunt ad introducendam distinctionem actualem, aliquid probat, probat sententiam Gilberti ab Ecclesia damnatam. Nec enim ipse aliud fundamentum habuit, quam quod de eadem re non potest idem affirmari et negari, quod etiam currit loquendo de eadem re entitative, et secundum se: nam duo contradictoria de eadem re entitative, et a parte rei non verificantur, aut si verificantur de eadem re propter diversam formalitatem, et diversam considerationem, quæ de eadem re haberi potest, licet res illa in se una sit, frustra ex hoc fundamento adstruit Scotus distinctionem actualem ex natura rei, si quidem stante indistinctione, et unitate sine ulla oppositione, et divisione in re potest eadem simplicissima entitas propter suam eminentiam pati affirmationem, et negationem de eodem secundum diversam formalitatem, vel considerationem, qua-

tenus illa entitas æquivalet pluribus, et gerit vicem plurium sine divisione in plura; et sic in sensu formali explicante illa diversa munera et non diversam entitatem fit affirmatio et negatio, ad quam sufficit illa pluralitas eminentialis, seu virtualis, quæ nihil aliud est quam fundamentum quod est in aliqua entitate, ut per intellectum possit ratio distinguere, et sic affirmare, et negare diversa; non autem actualis distinctio, quæ actu dividat ante operationem intellectus.

Fundamenta autem hujus Scoticæ distinctionis, omnia adducta, et soluta sunt citato loco præcedentis tomi, agendo de distinctione attributorum disp. iv, art. vi.

XIX. Quod attinet ad distinctionem rationis, quam D. Thomas ponit inter attributa et essentiam, et inter essentiam et Personas cum fundamento in re, quæ est distinctio ratiocinata, eam citata disputatione quarta, satis explicavimus, et ostendimus quantum ad duo.

Primum, quod non est sola distinctio rationis ratiocinantis, quæ est sine fundamento in re, et solum se tenet ex parte modi significandi eandem rem, sicut nomina synonyma, ut vestis, et indumentum non distinguunt rem aliquam, neque extrema diversa faciunt in conceptibus, sed conceptum de eadem re multiplicant.

Secundum est dari distinctionem rationis ratiocinata, seu fundatæ in ipso objecto, et nostra limitatione intelligendi, quatenus tanta eminentia non potest unico conceptu nostræ limitationis attingi; et sic conceptus dividitur juxta diversas formalitates, seu rationes explicatas in illis conceptibus, licet in re sint unum eminentialiter complectens omnes illas rationes, quæ a nobis non nisi cum ordine, et connotatione ad rationes creatas, et limitatas

explicari possunt. Hæc duo late ibi probata sunt citata disputatione quarta præcedentis tomi, et difficultates in oppositum solutæ, nec est aliquid quod amplius addatur.

ALIA DISTINCTIO VIRTUALIS A MODERNIS INVENTA REJICITUR.

XX. Nihilominus ita plurium mentes pupugit illud fundamentum Gilberti Porretani, Durandi, et Scoti, quod non potest de eadem re omnino una verificari affirmatio, et negatio ejusdem rei, seu contradictio, ut quod essentia sit communicabilis, et paternitas incommunicabilis a parte rei, et secundum quod a Deo, et a beatis videtur hoc mysterium in se, ut semper insistant in ponenda aliqua distinctione ante operationem intellectus, quam Gilbertus, et Gualterus sine ambagibus dixerunt realem, et ab Ecclesiæ definitione oppressi sunt: alii modalem, sed non realem, ut Durandus, qui eadem ferre damnatione tenetur: alii ad evitandam calumniam, nec realem, nec modalem, sed formalem obscure posuerunt, ut Scotus, qui in re non aliud quam non identitatem voluit ponere, et de facto virtualem distinctionem appellavit, ut vidimus: alii tandem hujus temporis auctores negantes etiam formalem distinctionem in attributis ante operationem intellectus, nihilominus aliquam aliam distinctionem ante opus intellectus dari in divinis affirmarunt. Sed quam aliam? Si verba attendas, pluribus nominibus opulentam nobis distinctionem pepererunt: si rem, sensumque aperias, nil nisi vel Scoticum, vel Porretanicum invenies. Vocant hanc distinctionem iniciativam, aptitudinalem, fundamentalem, sed communius virtua-

lem, quo nomine magis invidiam declinent. Quam sententiam late defendit Ægidius a Præsentatione lib. v de beatitudine, q. v, art. vi, §. ii et iii, multosque pro illa refert. Eam obviis manibus, quasi de cælo lapsam tanta veneratione excepit Herice disp. ii, c. iii, num. xviii et disp. xii, c. i, num. iv, et disp. l, c. ii, a num. xxiii, quod hanc distinctionem inventum divinum appellet ad explicandas insuperabiles difficultates, quæ in materia de Trinitate occurrunt. Et alii recentiores idem sequuntur. Vocant hanc distinctionem inchoativam, et fundamentalem, quia radix est distinctionis actualis, quæ per intellectum concipitur. Quare ratione virtualem etiam appellant seu eminentialem realem, sed tamen quoad munus, et officium idem præstare docent atque distinctionem actualem, quia ratione ejus potest esse unum ubi non est aliud, perinde ac si extrema essent realiter distincta. Et corroborantur argumento, quia non solum in re communicatur essentia, et non paternitas, sed etiam Deus videt in se suam essentialem communicari, et paternitatem non communicari, et non distinguit per rationem paternitatem ab essentia, quia non format Deus distinctionem rationis: ergo ante distinctionem rationis in eadem indivisibili entitate verificantur duo contradictoria; et sic debet dari aliqua distinctio antecedens operationem rationis in ipsa entitate divina, quia etiam visa in se immediate, illas contradictorias fundat.

XXI. Cæterum ista sententia si nomine distinctionis virtualis, et ante operationem intellectus non aliud intelligit quam quod in sententia Thomistarum nomine virtualis distinctionis intelligi solet, et in schola Scoti nomine distinctionis antecedentis operationem intel-

lectus, nihil novi affert. Si aliquid aliud intelligit, aut nihil dicit, aut in istas recidit sententias. Hanc ergo distinctionem virtualem egregie impugnat p. Alarcon tract. v de Trinitate disp. ii, c. vii et x. Nos breviter duo dicimus.

Primum, apud antiquam sententiam D. Thomæ et Thomistarum, imo et Scoti inveniri mentionem virtualis distinctionis. Nam cum omne id quod dicitur virtualiter tale, dicatur necessario per ordinem ad id quod actualiter est tale, potest virtualis distinctio dici, vel respectu actualis quam res aliqua potest recipere, et habere in se, vel respectu actualis quam potest facere: sententia Thomistarum fatetur virtualem distinctionem in attributis Dei respectu actualis, quæ potest fieri per rationem; et sic non est aliud quam ipsum fundamentum, quod se tenet ex parte rei, ut cum distinctione concipiatur. Et hoc fundamentum remanet in se ante operationem intellectus omnino unum, et indivisum sine aliqua distinctione in actu; et sic si contradictoria verificantur de illo, utique verificantur de aliquo quod ante operationem intellectus est omnino unum, et solum habet pluralitatem comparatione ad conceptus nostros distinguentes, quod est nullam distinctionem dari ante operationem intellectus ad verificanda illa contradictoria, sed de eodem secundum diversam formalitatem ratione distinguibilem, et ante operationem intellectus formaliter, et actualiter unum, contradictoria verificari. Hæc dicit sententia Thomistarum de virtuali distinctione, quæ sane virtualis est per ordinem ad actualem, quæ potest in ipsa re fieri ab intellectu. Si vero virtualem distinctionem sumat hæc nova sententia, non per ordinem ad actualem, quæ fiat per rationem, sed in ordine ad actualem,

quam ipsa possit facere in ipsis rebus ante operationem intellectus incidit in opiniones Scoti, vel Durandi aut Gilberti, nec potest se ab illis expedire, ut jam dicimus.

XXII. Secundum ergo quod addimus est, istam sententiam, cum conetur inducere per hanc novam distinctionem virtualem aliquid, quod ante operationem intellectus operetur verificationem duplicis contradictoriæ, cum sufficienti distinctione, et vult fugere sententiam Scoti, Durandi, et Gilberti de distinctione actuali a parte rei, et ex alia parte amplius vult dicere, quam distinctionem rationis cum fundamento in re, quæ est virtualis distinctio Thomistarum, plane inexplicabilem se reddere, et tandem aut nihil nisi voces dicit, aut in unum ex istis extremis, quæ vult evitare, recidere. Nam cum inquirimus, quid est virtualis distinctio in Deo ante operationem intellectus, dicunt, non esse aliud, quam Deum secundum se, et ante operationem intellectus æquivalere pluribus, et distinctis, ita quod illa virtualis distinctio sit quoddam perinde valere plurium, et ipsum Deum, plurium ac distinctorum gerere munus. Bene. Hoc ipsum non negant Thomistæ. Neque eminentia hæc divina, quod simplicissima existens pluribus, et infinitis perfectionibus æquivalet ab aliquo negari potest. Sed premimus ulterius. In hac eminentia remanetne unica, et indivisibilis ratio, seu entitas ante operationem intellectus, super quam cadat illa affirmatio, et negatio, an aliquid est actu distinctum a parte rei, super quod tamquam super extrema ante opus intellectus distincta, cadit affirmatio, et negatio? Si a parte rei est aliquid actu distinctum tamquam extrema aliquam distinctionem habentia ante opus intellectus, super quæ cadat illa affirmatio, et nega-

tio, jam non est sola distinctio virtualis, sed actualis ante operationem intellectus, et illa actualis distinctio vel debet esse formalis, sicut est apud Scotum, vel modalis ut apud Durandum, vel realis ut apud Gilbertum, nec alio modo. Quod si dicant a parte rei nullam esse actualem distinctionem, nec actu esse plura, sed virtualiter plura et actu unum, insto semper, quid sit illud virtualiter plura, ultra hoc quod est esse fundamentum distinctionis rationis. Nihil enim invenietur in illa pluralitate virtuali, quod ante operationem intellectus extrahat illam entitatem ab unitate, reducat in aliquam distinctionem in actu: ergo præter id quod est unum in re, et fundamentum distinctionis rationis, quæ consistit in eo quod illa eminentia æquivalet pluribus, nihil amplius invenitur, quod illa voce virtualis distinctionis significetur. Si autem a parte rei, et ante operationem intellectus non invenitur nisi unica, et indivisibilis ratio in actu, nec rumpitur illa unitas in aliquam distinctionem actualem, sed totum manet in fundamento, et in radice quousque veniat conceptus rationis distinguens: ergo hæc sententia relinquit intactas omnes difficultates hujus mysterii, et illam verificationem duplicis contradictoriæ, nec majorem lucem affert ad hoc solvendum, quam distinctio virtualis, et rationis ratio cinatæ, quam ponunt Thomistæ; si quidem tota difficultas, quæ movit Gilbertum, Durandum, et Scotum ad ponendum distinctionem ex natura rei ante operationem intellectus, est quia in re non possunt duo contradictoria verificari de eadem re omnino indivisibili, et una; et propterea conati sunt in illa entitate una aliquid distinctionis inducere ante operationem intellectus, ut assignarentur aliqua extrema actu

ante illam operationem, super quæ caderet illa affirmatio, et negatio; sed totum quod ista sententia ponit ante operationem intellectus est ratio omnino una, et illa virtualitas distinctionis non extrahit a tali unitate, nec reducit ad distinctionem actu ante operationem intellectus illam virtualitatem: ergo easdem patitur difficultates de verificatione contradictoriarum respectu unius, et ejusdem extremi non plurificari actu. Dicere autem quod illud unum extremum in re, est virtualiter duo non actu, hoc non est explicare sensum, sed multiplicare verba: inquirimus enim an ly virtualiter duo, ponat in re duo actu, an solum relinquat unum actu, quod tamen per rationem potest esse multiplex: nam si actu non relinquit nisi unum, quid obstat hoc verificationi duarum contradictoriarum, quæ non fit nisi in uno extremo, non in pluribus a parte rei?

Quare nos distinctionem virtualem, quæ non est aliud quam distinctio rationis cum fundamento a parte rei, admittimus, quæ est sententia Thomistarum; distinctionem autem virtualem mediam inter distinctionem istam rationis, quæ ratione sui fundamenti virtualis dicitur, et distinctionem actualem ante opus intellectus, sive formalem, sive realem, intelligimus, nec video quid explicet in his difficultatibus nisi pura verba.

XXIII. Ad fundamentum insinuatam oppositæ sententiæ dicimus Deum, et beatos visione sua intuitiva videre id ipsum quod a parte rei datur in Deo, et eo modo quo datur, non eo modo quo nos concipimus, qui imperfecta cognitione ducimur. Videt ergo Deus paternitatem ut relative oppositam Filio, seu relationem illam secundum rationem ad, non communicari Filio, essentiam vero, et attri-

buta, et omnem perfectionem absolutam communicare sine ulla distinctione inter essentiam, et paternitatem, et cum distinctione inter paternitatem, et filiationem. Nec ex hoc format distinctionem rationis inter essentiam, et paternitatem, quia non tangit illa pluribus conceptibus, nec ad instar eorum quæ in nobis distincta sunt, sed ut sunt unum in se, quia etiam secundum hanc sententiam quam impugnamus, essentia, et paternitas in re, et actu unum sunt. Videt ergo Deus essentiam suam ita esse infinitam, et eminentem entitatem quod exercet oppositionem, et respectum sub ratione relativi, et ut paternitas est respectu filiationis, et non exercet respectu ipsius essentiæ, ut absoluta est; et sic videt communicari, et non communicari id quod est unica, et eadem entitas divina secundum diversas considerationes, distinguibiles quidem actu secundum nostros conceptus, in se vero non actu distinctas, sed solum fundamentaliter, seu virtualiter, eo quod non communicari non convenit ei absolute, et secundum totum, quod identice est in re, sed solum sub præcisione, videlicet ut relative opponitur: alias enim si negatio sic proferatur: Quidquid est essentia divina, sive formaliter, sive identice non communicatur, falsum est: Deus ergo videt id quod communicatur absolute, et non communicatur prout relative, non facere distinctionem in re, sed eminentiam esse unius rei includentis multas illas præcisiones.

#### ARTICULUS II.

*An relationes sint de conceptu essentiæ, et e converso?*

I. In relatione reali duo includuntur, seu duplici formalitate aut